



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Iesus iniquè blasphemiæ accusatur Art. & Hom. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

IESUS INIQUE BLASPHEMIAE ACCV.
sat. Artic. XIX.

ET exurgens summus sacerdos in medium interrogauit Iesum dicens: Non respondes quicquam ad ea quæ tibi obijciuntur, & ipsi aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat, & nihil respondit. Rursus autem summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Adiuuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei benedicti. Iesus autem dixit illi, Ego sum: Tu dicis. Veruntamen dico vobis: A modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blaphemauit: Quid adhuc egemus testibus?

HOMILIA XIX.

Testimonijs cum nullis posset Caiphas criminandi locum inuenire, ad aliam se fraudem versipellis iste conuertit. Sciebat namq; omnia falsa esse testimonia quæ fuerant adducta, quibus nil fidere posset. Pilatum quoq; prudentem esse virum, nec leuissimis illi esse accusationibus suadendū. Videbat præterea ad omnia Christum tacentem, nihil enim mitis Dominus respondebat. Frustra enim ibi responderet, vbi veritati non erat locus, vbi exquisita, quæcunq; dicebantur, erant mendacia, nec de veritate curabatur. Cur tacerit Christus coram Caipha. Atq; idcō non discutebatur quid Christus dixisset, sed quid in illum posset obijci, quidve criminari. Nihil igitur magis optabatur, quam Christus vt loqueretur, quo in hac multitudine concilij quispiam illum audire, deprehendere, notare, conuincereq; potuisset, vnde calumniandi, accusandiq; eum, strui possit eidem causa. *Surgens igitur, &c.* Impatientia pontificem de sede expulit, & motu corporis insaniam indicat mentis. Ad respondendum itaq; Dominum prouocat, vt ex occasione sermonis, locum inueniat accusationis. *Nihil, inquit, respondes, &c.* Non veritatem discere cupit, non locum tribuit excusationi, sed ad loquendum inuitat, vt respondentem in verbis capiat, vt noceat innocenti. *Iesus autem tacebat.* Sciebat Iesus quod quicquid dixisset, fuissent calumniaturi. Tacebat igitur non timore, sed mysterio. Quicquid enim erat dicturus, in occasionem sciebat esse pontificem sumpturum calumniandi. Maluit igitur fortiter tacere, quam excusando se, non solum nihil proficere, verum etiam vnde deteriores illos propria eorum faceret malitia, obtendere. Stans itaque pontifex Domino Iesu in faciem truculentus, furoreq; plenus: *Adiuuro, inquit, te per Deum, &c.* Ad alia semper consilia versutus ille se conuertit. Vnde Christo opponit, quo illum loqui compellat, nunquam tamen respondentem (vt manifestum erit) crediturus: sed quo foueam Christo parer, vt si se neget Christum, calumnetur præsumptionis temerariæ in docendo: si fateatur, blasphemiam inculcet. *Adiuuro te, inquit, per Deum viuum, &c.* Non veritatem discere, sed calumniam tendere cogitat.

G

Vide